

**Bourdier de La Moulière,
Joseph-François - candidat / Coste,
César - président / Emmerez,
Guy-Erasme
De Larbre, Jean-Claude - auteur. -
Sunt-ne Diuretica hydropis praecipua
remedia ?**

1783.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°98***

DEO OPTIMO MAX. UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCE,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA*

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-septimâ mensis Novembris, anno Domini M. DCC. LXXXIII.

M. CÆSARE COSTE, Censore Regio, Doctore Medico, Præside.

Sunt-ne Diuretica hydropis præcipua remedia?

I.

UT sanguinis optima constitutio, ejusdemque justa & secundum naturam instituta *κρᾶσις*, non tantum maximi ad longiorem vitam est momenti, verum ad sanitatis integritatem conservandam, functiones omnes rite obeundas, & ad bene beatèque vivendum multum confert: Ita prævum ejus temperamentum symptomatum Iliadem invenit, vitæ longioris spem adimit, totiusque individui perniciem ac ruinam continuo minatur: nisi tandem ex prudentis Medici consilio, propriis remediis administratis, emendetur, adeò ut debita naturæque conveniens sanguinis *κρᾶσις* restituatur. Quid enim præstantius; quid optabilius partium simularium laudabili temperie, organicarum exactâ symmetriâ, corporis constanti integritate, functionum omnium, (quibus cæteris animantibus antecellit homo) absolutâ perfectione, totius hominis firmâ valetudine: hæc sunt sanguinis optimè temperati comoda. Quid verò pejus, quid deterius partium intemperie & ametriâ, corporis deformitate, functionum depravatione, totius hominis infirmâ valetudine? Sanguinem intemperatum hæc mala sequuntur, quibus dum quis implicatur, vitam nonnisi tædiosam & à quocunque gaudio liberam ducit. His tamèn non frustrâ occurret, si affectu planè perspecto, rectus atque conveniens remediorum selectus, quantitas idonea, utendi ratio congrua, cuius scilicet parti illa admovenda, & per quæ loca humor morbum committens, abigendus instituatur.

* Propugnata, 13 Novembris 1681, à M. Guido-Erasmo EMMEREZ; M. Joanne-Claudio DE LARRE, Præside.

INTER corporis affectus diris sævisque symptomatibus illud exer-
ciantes, non multum sese effert illi, qui à nimia superfluâque
humiditate originem ducunt. Ex iis non infrequentè accidit hydrops,
qui etiam si symptomatibus admodum urgentibus ægotantem non di-
vexet, eum tamen sensim sine sensu, ob maximam redundantis humo-
ris colluviem, vires dejiciendo ac obruendo, in maximum vitæ discrimen
conjicit, ac nihil, nisi fatalem moriendi necessitatem brevi subeun-
dam, sperandum relinquit: Neglectis præsertim in principio admini-
culis, quibus talis affectus ulteriùs progredi prohibetur, hinc rectè
quidem Poëta; *principiis obsta, sero medicina paratur, dum mala per
longas invalere moras.* Ab aquâ vulgò nomen accepit hydrops, undè
latinis aqua intercus, vel aqua intercutem dicitur, & in genere aquosi
ac serosi humoris abundantiam & collectionem significat: ob quam
corpus vel pars ejus præter naturam intumescit. Undè affectus ille mor-
bus in sero vel pituitâ extra sua vasa effusis, hinc in corporis habitu
vel cavitate quâvis præter naturam collectis appositè definiendus venit.

I I I.

HYDROPS tumor est vel totius corporis ab humore, vel ut
sæpissimè, ventris tum à sero tum à flatu. Ille à pituitâ tanquàm
à causâ conjunctâ originem habens, totius corporis exterioris, aut
quarundam extremarum partium, tumor est albus, mollis, tactui ce-
dens, & foveam ab impressione relinquens, leucophlegmatia seu Ana-
sarca dicitur. Hic duplex, alter ab utris figura ascites; alter à distenso
& instar tympani sonante abdomine, tympanites appellatur. Hujus
affectus materia unanimi omnium consensu superflua humiditas in
massâ sanguineâ dignoscitur. Verùm de ipsius causâ inter se multi dis-
sentiant: alii enim cum Hippocrate frigidam hepatis intemperiem ac-
cusant, ob hæmatosim scilicet depravatam, quam ipsi falsò tribuunt:
quibuscunque, ait Divinus senex, aquâ repletum hepar, ipsam in omen-
tum profundit, indè alvus repletur. Quidam eundem Aristotelemque
secuti, lienem assignant. Ille enim, splen, inquit, aquam ad se trahit è
ventriculo, & si plus traxerit quam oportet, homo statim affligitur.
Hic verò, lien, ait, superfluas humiditates divertit & attrahit è ven-
triculo, ut qui sanguineus est. Alii obstructionem modò illius, modò
hujus visceris, vel renum esse volunt: Alii cum Fernelio nimiam vaso-
rum reserationem ac disruptionem esse contendunt: sed adeò dissen-
tientes authores conciliabis, si cum frigida totius corporis ac potissimum
sanguinis intemperie, has permultasque alias ac penè infinitas causas
assignaveris.

VIRIUM nimia exolutio ut plurimum à spirituum dissipatione, nihil nisi damnum viventibus afferre solet, hinc non rarò Lipothymia, Syncope, Paralysis, Apoplexia, Lethargus, omnes denique affectus, quorum causam, frigidam plurimi suspicantur intemperiem: hinc caloris nativi, cujus originem divinam coelestem, ac in spiritu æthereo subsistentem existimant nonnulli, sensim fit dissipatio, & (ut ait divinus senex) ad ruinam defluens frigidius redditur corpus, ac tandem in perniciem agitur. Hinc functionum omnium, ineunte morbo, non solum imminutio, sed progressu temporis grassante, manifesta depravatio & ut plurimum abolitio oriuntur. Indè prava ac vitiosa humorum colluvies unà cum Chylo in ventriculo cumulatur, mala in ejusdem Chyli distributione sanguini assimilatio, laudabilis alimenti in singulis partibus, vix ulla conversio, imò ob continuam spirituum dissipationem earundem extenuatio ac tabes sensim contingit. Hinc actionum animalium languor ac vacillatio, obstructions non infrequentes, nulla ferè excrementorum expulsio, ex quibus tandem plerumque hydrops oboritur, cui legitimè succurrere tentabis, si unà cum diureticis, convenientioribus catharticis adhibitis, superfluos vitiososque humores expurgaveris, obstructions reseratis, idoneaque alterantia in usum adduxeris, quibus depravata illa temperies evanescat ac tandem sanguis pro vitâ tuendâ ejusque functionibus ritè obeundis aptior restituatur.

V.

CONFIRMATI jamque inveterati hydropis curatio non rarò frustra suscipitur, ut qui à perenni flatu aut humoris vel etiam utriusque generatione factus, causam habet, insignem viscerum disruptionem totiusque temperamenti corruptelam: quum viribus agrotantis adhuc vigentibus, & naturali temperie nondum manifestè immutatâ operosam quidem sed non dubiam solutionem admittat. Humoris pituitosi vel serosi cum flatu permixti vacuatio, maximam in hydrope sanabili curationis partem constituit, & ut olim prodidit Heraclitus, tota curationis ratio est, ut ex pluvîâ fiat serenitas, nimia scilicet corporis humiditas exsiccetur. Adeò ut omni arte illa debeat promoveri per vias naturæ convenientiores & humori morbifico consentaneas. Nimia quippè serosi humoris abundantia, ut hydropi nomen tribuit, ita plerumque ejus est causa conjuncta; seri enim sectetione præpeditâ, ejusdem fit in vasa refluxus, & propter cibum potumque continuò advenientem copia major: indè vasorum nimia distensio, mox ruptio aut saltè *διαιρῆσις*; adeò ut citius vel serius extrà vasa

serum effusum in corpore, undè tandem hydrops colligatur. Contrà verò dùm admirabili naturæ solertia singulis diebus ejusdem feri in renibus fit secretio, per carunculas papillares transcolatio, in vesicam expulsio, ac per urinas expurgatio, hydropi vix unquàm ulla præbetur occasio. Quis itaque naturæ, (quæ morborum verè medica est) imitator, quo ipsa vergit humores non ducat ad omnem hydropem persanandum cæterisque remediis diuretica non anteponat? quorum ope tota morbi materia per urinas facilius possit evacuari.

Sunt ergò Diuretica hydropis præcipua remedia.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Jacobus DE LA PORTE.	M. Antonius-Chaumont SABATIER, Regis Exercituum in Insulâ Corsicâ Medicus.	M. Joannes-Claud. MUNIER, Invalidorum Ducum ac Militum Medicus honorarius.
M. Thomas LE TENNEUR.	M. Ludovicus DESBOIS DE ROCHEFORT, Eques, Chirurgiæ Gallico idiomate Professor, Censor Regius.	M. Paschasius BORIE.
M. Felix VICQ-D'AZYR, è Regiâ Scientiarum Academiâ, Serenissimi Comitis Atrebatum Consiliarius Medicus, Regii Medicorum Collegii Nanceianorum Socius honorarius.	M. Joannes-Franciscus Achilles DE LALOVETTE, Eques.	M. Stephanus POURFOUR DU PETIT, Saluberrimæ Facultatis Decanus.

Proponerebat Parisiis JOSEPHUS-FRANCISCUS BOURDIER DE LA MOULIERE, Bellicinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus. A. R. S. H. 1783.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAV, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1783.